



502.

ORATIO ²⁸
DE
HOBBIANISMO,
IN
PLERISQUE
JVRIS ECCLESIASTICI
SCRIPTORIBVS NEOTERICIS
LATE REGNANTE.

VITEMBERGÆ,
IN SOLENNI, CORPORIS ACADEMICI
PANEGYRI

d. 22. JVLII 1744.

RECITATA

A
MARTINO GRVLICHIO,
SS. THEOL. DOCTORE ECCL. TORGAV. PAST.
PRIM. ET DIOECES. SVPERINTENDENTE
AC LYCAEI INSPECTORE.

TORGAVIAE, LITTERIS PETERSELLIANIS.

Leon J. Henning



ORATIO

DE

HOBBIANISMO

IN

HERIODE

JURIS ECCLESIASTICI

SCRIPTURARUM NEOTERICIS

IN PATRIBUS

VITTEMBERGA

BY SOLIUM CORPORIS ACADEMICI

PANDECTI

d. 22 JULII 1744

RECITATA

MARTINO GRIVICHIO

DOCTORE PUBLICO

IN

TOGAVIA



Trigæ Sacræ
Ministeriorum in Ephoria Torgaviensi
Reverendorum,

Rev. Ministerio Torgaviensi & speciatim

Dn. M. Samueli Theodoro Schmidio,
Archi-Diac. & Ephoriæ Adjunct. Ordinario,

Dn. M. Guilielmo Krudhoffio,
Meso. Diacono & Fisci Maj. Curatori,

Dn. M. Friderico Mullero,
Diacono & Fisci Maj. Curatori.

Dn. M. Gotthelf Germano, † 1782.
Pastor. ad Spirit. S.

Rev. Ministerio Domicensi, speciatim

Dn. M. Friderico Rödero,
Past. Prim. Ephoriæ Adjuncto & Fisci Minoris Curatori.

Dn. Davidi Handvverckio,
Archi-Diac.

Dn. M. Johanni Leuchtero,
Diac.

Rev. Ministerio Belgerano, speciatim

Dn. M. Michæli Heinricho Reinhardo,
Past. Prim. Ephoriæ Adjuncto & Fisci min. Curatori,

Dn. M. Joh. Augusto Seidelio, † 1774.
Diac.

VIRIS
Maxime & plurimum Reverendis, Amplissimis
Clar. Doctissimisque

Dominis, Collegis, Compatri & Fautoribus multis
nominibus Colendis.

VIRIS

itidem

Plurimum Reverendis Amplissimis, Cla-
rissimis Doctissimisque

Dominis, Patribus ac Fratribus in Christo Conjun-
ctissimis dilectissimisque

Dn. M. Joh. Jacobo Becmanno,
Pastori in Dorn, Reichenbach & Fisci major. Curatori.

Dn. M. Gottlieb Bernhardt,
Past. in Zschakau und Zöckeritz.

Dn. M. Godofr. Conr. Bernhardt,
Past. in Wildschütz und Schönau.

Dn. M. Georgio Bruckmeyero,
Past. in Meiden, Mockritz und Döbern.

Dn. M. Jonæ Dietshero,
Past. in Schildau und Schildershain.

Dn. Martino Dohlio,
Past. in Meise & Eph. Seniori Venerabil.

Dn. M. Joh. Frid. Dulce,
Past. in Zinna und Welsau.

Dn. M. Christiano Augusto Franckensteinio,
Past. in Langen, Reichenbach und Probsthain.

Dn. M. Johanni Jac. Geussenheimero,
Past. in Beckwitz, Laura und Graupitz.

Dn.

Dn. M. Joh. Christiano Hauckoldo,
Past. in Falschenberg und Dahlenberg.

Dn. Casp. Henric. Hebsackero,
Past. in Kobbershayn.

Dn. M. Johan. Jerem. Hederrichio,
Past. in Süptis und Großwig.

Dn. M. Davidi Christiano Hilschero,
Past. in Wesenig und Loswig.

Dn. M. Paulo Adamo Hofmanno,
Past. in Weidenhayn.

Dn. M. Joh. ^{David} ~~Christiano~~ Klugio,
Past. Orphanotrophii quod Torgæ est.

Dn. M. Gabrieli Klungio,
Past. Sen. in Klitschen und Melpitz.

Dn. M. Gabr. Augustino Klungio,
Past. in Klitschen und Melpitz, Substit.

Dn. M. Danieli Frid. Lindnero,
Past. in Arzberg und Triestewitz.

Dn. M. Joh. Gottlob Meynero,
Past. in Audenhayn.

Dn. M. Joh. Sam. Otto,
Past. in Troßin und Noitsch.

Dn. M. Joh. Casp. Schallero,
Past. in Röckwitz und Kolmen.

Dn. M. Wolfgang. Schmidio,

Past. in Elsnig.

Dn. M. ~~Joh.~~ ^{Sam} Jac. Schroero,

Past. in Wildenhayn und Wolkehna.

Dn. M. Joh. Andr. Siepio,

Past. in Eisleroda.

Dn. Johanni Taufend,

Past. in Cornewis.

Dn. M. Joh. Georgio Wincklerø,

Past. in Kreyschau.

Hanc orationem in benevoli animi tesseram

cum voto omnigenæ prosperitatis,

D. D. D.

Autor.

VIRI
Maxime & Plurimum Reverendi, Amplis-
simi, Clarissimi Doctissimique
Patres & Fratres in Christo Conjunctis-
simi Dilectissimique
Fautores & Amici Honoratissimi!

Equidem firmissimum, cum ad VOS huc accederem, mihi erat propositum, omnibus, eo animi viribus annitendi, ut in amoris officiis ac benevolentiae testimoniis nunquam a VOBIS vincerer. Noctis etiam, quam sollicitè exinde dederim operam, ut cuilibet VESTRUM, quæ fas esset humanitate occurrerem; atque in omnibus, quæ a me jure expectari poterant, promptum meum VOBIS inserviendi animum declararem, cujus faventissimi VOBIS animi mei affectum sæpius optavi, ut publicè aliquo documento obsignare possem, & explestem dudum quæ in votis fuere, ni rerum mearum rationes huc dum impedimento fuissent.

Nihil ominus jam a VOBIS me victum cerno, herbamque VOBIS porigere, in virtus licet, cogor. Vos enim *Patres & Fratres Honoratissimi!* publica & pererudita *Epistola* declarastis, non minus VOS me, quam ego VOS amore sincero complecti. Facile VOBIS Lectores veniam dabunt, si talem me non norint, qualem quidem pro favore VESTRO me judicastis. Dicitis enim, non qualis sim vel fuerim; sed, si quibus me mactastis laudes temere mihi arrogare vellem, qualis omnino esse debeam. Amoris impetus medium tenere haud didicit. Sed tamen in rebus licitis & bonis citius excessum, quam defectum excusationem mereri novimus.

Noctis quam rara inter Collegas & Confratres esse solet Concordia, neque tamen etiam VOS fugit, quam turpis inde ordini nostro nota inuri solet. Proinde Gratias merito DEO nostro ago, quod Ephoriæ nostræ hæc macula non adhæreat, neque ea, discordiarum, Jurgiorum & litium incusari queat.

Interim


Interim cum strenuo militum duci, qui vinci noluit, & tamen
fatis ita volentibus, superior evadere haud potuit dedecori duci
non solet, ita nec mihi turpe fore confido, Si VOBIS, quorum unita
vis major fortiorve fuit, cedere coactus fuerim.

Quo autem, quam mihi gratum jucundumque vestrum Huma-
nitatis officium fuerit, publice testarer, hoc ipso alloquio palam fa-
cere volui. Favor vester sperare me jubet, ut qualem qualem hanc
oratiunculam, *vestris Personis Nominibusque* haud indignam fitis ju-
dicaturi.

Non latet VOS, qua occasione ea fuerit recitata, vocem audi-
tam mox perituram noveram, adeoque de stili elegantis & verbo-
rum ornatu non æque tunc eram sollicitus. Jam, cum, ut eam ede-
rem, suasores extiterint, malui eodem vestitu ac habitu, quo publice
in Academia comparuit, eam exhibere, quam corrigendo & emen-
dando alienum partum supponere, sufficit mihi, si eo a VOBIS ani-
mo recipiatur, quo quidem VESTRIS REVERENDIS NOMINI-
BUS a me inscribitur. Accipite igitur serena fronte, quod VE-
STRUM esse volui.

Ceterum Deum supplex oro, ut omnibus iis bonis, quæ mihi
in Commentatione VESTRA Epistolica affatim apprecati estis, me-
cum diu fruamini, ita enim fiet, ut coadunatis precibus ac viribus
bella domini porro feliciter geramus, Coetus nostros verbo salu-
tis proficue pascamus, & inoffenso pede in via veritatis progre-
di ac quæ salutis ecclesiæ fore cognoscimus, curare queamus. Va-
lete! Scribebam Torgæ d. 4. Nov. 1744.

Amplissimorum
&
Reverendorum
Vest. Nominum
Studiofissimus,
D. Martinus Grulichius.



Academiae hujus Vitembergensis
Magnifice Domine Rector!

Vosque reliqui

Patres Conscripti,

VIRI

Summe-Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Excel-
lentissimi, Nobilissimi Doctissimique

Domini,

Fautores, & Patroni Honoratissimi!

TUQUE

Decus Academiae, Ornamentum hujus Civitatis,

Flos Patriae, atque Spes Ecclesiae & Reipublicae splendidissima

Studiose Juventutis

Corona!

Auditores

decentibus omnes nominibus nuncupandi!

Qantum, indefesso doctissimorum Anglorum studio ac incomparabili eorum industriae, scientiarum augmenta & literarum incrementa debeant, orbis literatus grata mente recollere consuevit, omnesque, qui artium liberalium & studiorum elegantiorum dignitati justum pretium constituere valent, debitis laudibus efferre didicerunt. Cui ignota sunt societates literariae in

B

hac

hac felicissima insula erectæ & autoritate publicæ munitæ non magis, quam ornata? cui non visi aut lecti sunt, præstantissimi, in omnium studiorum genere a doctissimis Anglis conscripti libri? consulturis Ephemerides eruditorum & diaria literatorum patebit, nullam ferme esse studiorum, quibus humanitas nomen commendavit, partem, cui hinc excolendæ; hinc ampliandæ doctissimi Angli non affatim dedissent operam. At enim vero, quod ex eadem illa fertilissima ac fortunata insula, atrocissimæ quoque injuriæ, gravissima mala, & lethalia ferme vulnera ecclesiæ & religioni christianæ subinde illata atque inflicta sint, non negabunt, qui solidæ, rerum extra nostros fines gestarum cognitioni imbibendæ, paulo curatiorem dederunt operam. Quæ monstra opinionum de Deo & rebus divinis Anglia non parturivit! Certe! si apud nonnullos Anglos stetit, vel nulla, a republica distincta ecclesia amplius superesset, vel religionem christianam in meram philosophiam moralem dudum commutatam cerneremus. Horret animus cogitatione rerum, quæ nostro ævo Comes *de Passeran* in Parallelismo Mahumedis & Mosis, (a) quæ *Thomas Morgan* in Philosopho, quem nominat morali, (b) quæ *Thomas Chubb* in sufficientia rationis, (c) quæ *Samuel Parvish* in Inquisitione in judaicam ac christianam religionem, (d) quæ *Thomas Wolstoon* in He-

xade

(a) Albertus Radicatus Comes Italus de Passeran, vix ætherem anglicanum hauserat, cum execrabilem hunc factum excluderet Londini 1732. vid. Celeb. Mich. Lilienthal's Theologische Bibliothec Sect. XI. p. 1099. & Relat. Innoc. anni 1737. p. 602.

(b) Prodiit hic liber Londini 1738. in 8. refutatus a Joh. Lelando in divina Autoritate V. & N. T. Londini 1740. in 8. vid. Doctiss. Lilienthal, l. c. Sect. III. p. 334. 336. & nova Acta Erudit. germanica P. XXIV. p. 747.

(c) Chubbii liber prodiit Londini 1732. in 8. vid. Lilienthal Sect. III. p. 337. & Relat. Innoc. anni 1738. p. 567.

(d) Prodiit hic liber Londini 1739. in 8. Lilienthal Sect. XI. p. 1078.

xade discursuum de miraculis saluatoris, (e) quæ *Arthurus Collin* de libertate hominis, quæ *Samuele Strutt* de physico actionum humanarum ortu ac principio, (f) quæ *Martineus Tindal* de Christianismo Creationi cœvo, (g) quæ *Job. Tolandus* in Christianismo, mysteriis carente (h) quæ *Sexcentialii*, (i) alios monstrofi procacisque ingenii foetus excluderunt, in quibus scriptis omnibus, tot atrocias, tot impia, tot ab omni, summi numinis & verbi divini reverentia plane remota reperiuntur, ut crederes, eorum autores ab ipso Caco-dæmone, mercede conductos fuisse, ut religionem & cultum divinum, publico omnium derisui exponerent; & quæ sacra huc dum habita erant, petulantissimo omnino ausu, pedibus proculcanda nequiter projicerent.

Abfit! ut hanc procacitatem, mentisque improbitatem omnibus promiscue Anglis imputemus. Sunt, quibus clades *Josephi* curæ cordique est. Sunt, quos puduit Angliam, hæc monstra protulisse, dolent potius, quibus meliora Jova finxit præcordia, dolent, inquam cum doctissimo *Stackhuseno*, (k) hæc portenta ex Italia, per *Thomam Hobbesium*, qui semel iterumque omnem Italiam peragrando occasionem nactus erat, in Angliam primum advecta & apportata fuisse.

Et sane novimus hunc Virum, (l) ancipites autem hæremus:
 B 2
 prodi-

- (e) Hujus Hexadis prima folia, prela reliquerunt anno 1727. Londini refutata a *Cel. Jöcher*o, *Mündenio*, *Wollio* aliisque.
 (f) De *Collino* & *Strutto* vide *Relat. Innoc.* anni 1740. p. 811.
 (g) Prodiit hic liber Londini 1731. in 8.
 (h) Londini 1702. *Lilienthal* Sect. III. p. 274. *Rel. Inn.* 1738. p. 291.
 (i) vc. *Wilhelmus Whiston*, *Arthurus Bury* *Bernhard Mandeville* &c. vid. *Magnif. Dn. D. Pfaffii* *Introductio in Historiam Theol. Lit. P. II.* p. 257. seqq. & *literatissimi Dni. Henrici Christiani Lemckeri* *Historia Vitæ & fatorum Thomæ Wolffoonii* *Lipf.* 1740. in 8.
 (k) In *Præf. libri Præstant. The History of the holy Bible* *Lond.* 1739.
 (l) *Vitam Thomæ Hobbesii* prolixè enarrat *Petrus Bælius* in *Lex. Hist. Crit.*

prodigiosine magis ingenii an portentosæ, aut omnino nullius religionis hominem dicamus, primus certe Hobbefius vel tamen inter primos fuit, qui in Libris de *Cive*, & quem tetrico *Leviathanis* nomine inscripsit, omnia ecclesiæ jura, solius summi imperantis voluntati & absoluto imperio subjecit. Primus exitit, qui negavit: ecclesiam, separatam a Republica corpus esse, primus reperitur, quem asserere haud puduit, unicum saltem fidei articulum de Jesu vero Messia necessarium, reliquos omnes arbitrarios esse, atque a determinatione, indultu ac Voluntate principis dependere. Quid est *Audtores omnium ordinum dignitatum, honorum ac studiorum Honoratissimi*, quid est, si hæc non summa abominatio dicenda est?

Gratiæ quidem Deo agenda sunt, quod omnes Christiani Theologi ac Politici ab his Hobbefianis principiis abhorruerint, sed dolendum maxime est: quod a quam plurimis Viris, Viris ceterum doctissimis meritisque, Conclusiones inde fluentes, huc dum sint retentæ. Testes hujus asserti sunt Scripta *Abiani Houtuy-nii*, *Christiani Thomasi*, *Job. Laurentii Fleischeri*, *Georgii Perzschii*, *Christophori Matthæi Pfaffii*, *Nic. Hieronymi Gundlingii*, *Lud. Martini Kablii*, ipsius, quod dolentes scribimus, *Ocelli orbis liberati Ill. Domini Justi Henningii Bobmeri* & quorum non? Quis est, qui nesciat, quantum studii & operæ, ab his Viris in enucleando Jure ecclesiastico positum fuerit? Sed quem etiam fugit, quam late in horum Autorum scriptis malum illud religiosum, quod *Hobbefianismum* dicere consuevimus dominetur? Verentur maxime, neque sine justa ratione, quotquot ecclesiæ bene cupiunt, (m) ne per eos, qui nil nisi emendationem juris ecclesiastici crepant,

(m) Conf. Magnif. D. D. Mosheimius in *Institut. Historiæ Christianæ* recent. p. 568. §. 14. ubi, Verentur, inquit, non Theologi tantum, verum ex ipsis quoque *ICtis Præstantissimi Viri*, ne ipsa tandem religio in artem securius regnandi & inventum civile convertatur, si nonnullorum ex hoc genere opiniones autoritatem obtineant.

crepant, ejusdemque cognitionem sibi præcipue arrogant, ne, inquam, per eos omnia ecclesiæ jura tandem evertantur, ac eorum culpa, uti Anglus quidam *nudum evangelium* scripsit, ita ecclesia, omnibus juribus nudata ac spoliata improborum libidini exponatur. Proinde neque a *Venerabili Confessus* *hujus amplissimi dignitate*, neque a muneris mei, quo fungor ratione alienum fore existimavi, si, de

HOBBIANISMO, IN SCRIPTORIBUS JURIS ECCLESIASTICI NEOTERICIS LATE REGNANTE,

speciminis loco paulo curatius exponam. Novi arduum, quod molior opus, sentio grave, quod mihi impositum est onus; Verum novi etiam coram quo Auditorio profari jussus sum. Tua, *Magnifice hujus Academia Domine Rector!* gratia, *Vestraque Auditores* reliqui, Humanitas imbecillum me sustentabunt. Proinde antequam progredior a *venerabili ac illustri hoc Confessu*, omni animi contentione submisso peto atque contendo: ut faventibus linguis ac mentibus me patienter audire, tenuitatis meæ benevole succurrere haud dedignetur.

Hobbianismum dum nominamus, haud exiguam, multorum malorum religiosorum congeriem, neque parvam, variarum pravarumque opinionum colluviem indigitamus. Quare cordatioris animi sollicitate dederunt operam, ut *Hobbianismi* suspicionem ac maculam, quam procul possent, a se removerent. Notum est singulis orbis literati civibus, ab Hobbesio, & jura *naturæ* & jura *civitatis* non minus, quam *ecclesiæ* tam perverſe tradita fuisse, ut *naturæ* omnem *bonestatem*, Civitati omnem *justitiam*, *ecclesiæ* omnem *sanctitatem* præripuisse jure culpandus sit. Neoterici juris ecclesiastici Scriptores videri quidem volunt, principia *Hobbesiana* se angue canequæ pejus odisse, at enim vero, falsas ab iis &

maxime noxias hypotheses principiis illis superstructas retineri, res ipsa loquitur. Jus Ecclesiasticum, uti omnibus notum est, comprehendit Doctrinas de natura, indole ac Constitutione ecclesiae, de ejus Juribus, regimine ac habitu ad Rempublicam, & quod maxime in eo disquiritur, de officio Principis circa Sacra. Ponderis-sima omnino capita! gravissimæque sane quaestiones! testantur hoc, tot, in orbe erudito obvia, de *Concordia Sacerdotii & Imperii* Volumina. Et utinam! hæc quaestiones a neotericis juris ecclesiastici Scriptoribus ita enodatae fuissent, ut *principi* jura sua *majestatica* sarta; ac *ecclesiae* jura sua *æconomica* salva mansissent. Sed Hobbesii asseclas nimium tribuendo uni parti, alteri summam intulisse injuriam, norunt, qui harum rerum non omnino sunt plane rudes.

Ne vero in quenquam injurii extitisse videamur, agite *Auditores Honoratissimi!* inquiramus in subleatas illas opiniones, quibus libros neotericorum scaterere dolemus, quasue ab Hobbefianissimi labe vix liberari posse cordatiores judicant.

Agmen ducat Hobbessii *primarium* & *πρώτον ψεύδος: ecclesiam esse partem Reipublicæ*. Ponderate quaeso subleatam hanc thesin! parum certe sani Syncipitis habere dicendi forent, qui non facile mala, ex hoc impuro fonte promanatura cernerent! quivis enim Theologaster & Pseudo-Policus inferre inde posset: Ergo, nulla habet ecclesia præcipua jura, quantum potius potestatis principi in univèrsum civitatis corpus competit, tantum etiam sibi vindicare potest in partem ejus, nempe in ecclesiam. Symbola condere, liturgiam præscribere, & ritus quosvis pro lubitu introducere poterit. (n) Sed quis est tam occæcatæ mentis? qui non videat,

(n) Non fingimus hic ejusmodi consequentias, sed reapse jam a neotericis factas recensemus saltem, haud enim puduit Adrianum Houtuynum asserere; principem, religionem publicam facere quamlibet, quia publicum omne a potestate publica sit: vid. Keufelius in *Elementis Juris Eccl. Univerf.* p. 179.

videat, omni hoc assertum destitui fundamento? abierem citius partem Myrti dixeris, aut solem partem stellæ putaveris, quam ecclesiam partem reipublicæ. Novimus ecclesiam omni civitate & civili imperio longe esse antiquiorem, nulla civitas prius existere, nullaque civium erga cives obligatio prius locum invenire potuit, quam dum homines religione adducti, fidem sibi dare, datamque servare didicerant, & quis est literarum adeo inscius, qui ignoret? ecclesiam, & imprimis christianam, inde a prima sua origine suos habuisse *ἱεραμένους*, antistites, episcopos & Pastores, adeoque suis juribus vixisse, antequam Corpus civitatis pervaderet, & sub tutela magistratus civilis quiescere inciperet? Ecclesia stare & durare potuisset, & si nunquam homines in integras respublicas coaluissent. Fieri autem nequit, ut Reipublicæ, absque religione si esset, sua constaret cum firmitate securitas. Accedit, quod salus ecclesiæ, in momentis longe aliis ac diversis, quam Reipublicæ quaerenda sit. Ecclesia, maxime circa veritates religiosas occupata est, quo ab eo, quod falsum, fictum erroneum & hæreticum est, probe distinguantur. Respublica contra, id quod justum est sollicitè observat, quo contra omne injustum violentum & fraudulentum defendatur. Ecclesia suos actus, suaque molimina eo dirigit, ut gloria Dei ejusque cultus publicus hominumque salus æterna promoveantur. Reipublicæ autem Consilia eo maxime collimare experimur, ut hinc principis Majestas, hinc civitatis felicitas si non augeantur, tamen conserventur. An ergo, quæ tot modis a se invicem distare videmus, unius compositi partes, haberi possunt? haud dixerim. Quis unquam animam, partem corporis nuncupare sustinuit. *Hobbesianismo* porro adscribendum est, quando Neoterici cum *Fleischero*, *Pfaffio*, *Gundlingio*, *Kabljo*, quibus & modestissimus *Keufelius* hic adhinnit, ad ravim usque clamitant: *ecclesiam esse societatem æqualem.* (o) Quilibet enim vel me tacente facile

(o) cf. Pfaffius Lib. V. de Jure Eccl. p. 236, & Illustr. Böhmerus in Instit. Juris Canonici Lib. I. Tit. I. p. 3. 7.

facile perspicit, quod scitum hoc, pravo turbidorum ingeniorum palatui sit maxime accommodatum. Occasio enim ita ipsis suppeditatur, negandi necessitatem Ministerii ecclesiastici, & promiscuum introducendi hinc, in docendo *libertinissimum*, hinc, in credendo *latitudinariissimum*. Omnes qui ingenium non plane in calcaneo gerunt, huc dum putarunt, discrimen, quoddam & inæqualitatem haud levem, Pastorem inter & Gregem, Doctores inter & auditores intercedere. Sed Hobbefistis nostris nil tam durum & crudum videtur, quod non deglutendum suscipiant, dummodo Cæsaro papia, quam moliantur, stabiliatur. Caveamus ergo! ne temere decipiamur, quando neoterici Juris ecclesiastici Interpretes aut si magis Corruptores, dulci fistula canentes toties totiesque inculcant: *in ecclesia nullum subjectioni locum relinqui* (p) novimus enim ab Apostolo, ecclesiæ bonum ordinem commendari, & obedientiam fidei ab auditoribus requiri. Sed facilius forsan foret, ut nubem quispiam sine vaporibus, quam ordinem & obedientiæ exercitium, absque disparitate graduum mente conciperet. Fieri ergo nequit, quin membrum ecclesiæ, membro tantisper subjectum sit.

Jam ad Palladium *Hobbefistarum* acies mentis dirigenda erit, constat nimirum inter omnes, quod Neoterici nostri, tanquam Medusæ caput semper nobis objiciant: *Ecclesiam non esse statum, neque statum in statu subsistere posse.* (q) Dicit vix potest *Auditores!* quantopere hic exultent, qui ecclesiam, si fieri posset, famulam & servam Reipublicæ facere satagunt, quique si unquam alibi, hic certe credunt, se non invenisse quod pueri in faba. Sed non est, cur hoc *μορμολυκείον* nos terreri patiamur. Nil absurditatis implicare existimamus, si statum quis in statu asserat. Dantur status, qui sibi invicem plane non contrariantur; Sed potius mutuo sibi ministrant & in fraterna oscula ruunt. An statum *berilem* statui *conjugali* contrariari putemus? omnes potius mecum confessuros confidimus, statum

(p) Keufelius in Elem. I. E. U. p. 136.

(q) Keufelius l. c. Lib. III. §. X. p. 127. & c. V. p. 188.

tum herilem consistere posse cum statu conjugali, neque statum herilem, accedente statu conjugali, vel tolli vel everti. Sed fac ita esse, ut status *independens* statum alium independentem ferre nequeat, annon propterea in tali statu independente, *domus privilegiatas & liberas Oeconomias* Hobbesistæ admittent? Jam vero Ecclesia est domus dei, suis privilegiis divinitus concessis fruens, est *œconomia sacra* eaque liberrima, in medio status independentis erecta, status ergo illius *œconomicus* in statu politico subsistere ac jura sua œconomica libere exercere poterit. At enim vero hoc ipsum est *Auditores!* quod Hobbesianismo inebriati negant, negant inquam, *ecclesiæ ulla jura competere*, negant ecclesiam aliquam sibi jurisdictionem vindicare posse, (r) longum foret edisserere miras illas *ideas*, quas de natura ac indole ecclesiæ in eum finem Hobbesistæ, quo jura ecclesiæ omnia proscriberentur, sibi formarunt. Sunt, qui ecclesiam *Collegii* instar considerandam esse putant, quam notionem reliquis omnibus tolerabiliorem primum excellentissimus quondam *Puffendorfius* adinvenit (s) nec malo animo aliis commendavit, quæque, si nulli cineres subdolo

(r) Nulli inquit Pfaffius Lib. I. & II. de Jure Eccl. p. 36. 54. in ecclesia sunt imperantes, nulla hic est jurisdictio &c. mirum alicui videri posset, qui fiat, ut doctissimus Autor tot, de jure ecclesiastico libellos conscripserit, qui tamen omne jus ecclesiæ denegat nullamque non jurisdictionem eidem adimit. vid. Relat. Innoc. ab anno 1730. p. 241. non entis alias nullæ esse solent affectiones. Sed notet lector, doctissimo D. Pfaffio solenne esse, ut quæ in una pagina fortiter negavit, in altera strenue asserat, contradictionum hic nullus finis, mox principi nulla alia nisi conventionalia jura relinquit, mox sui oblitus, habet quippe inquit, Magistratus civilis jus sacrorum absolutum Lib. V. de Jure Eccl. p. 229.

(s) In libro, de habitu religionis christiænæ ad vitam civilem, observat tamen Magnif. D. D. Pfaffius, in disp. de Jure Sacrorum absoluto & collegiali jam olim Eduardum Stillingfleetum hanc ecclesiæ formam affinxisse.

Iosi hic timendi essent, ferri posset, sunt tamen etiam, qui cum *Campegio Vitringa* ecclesiam in locum Synagogæ judaicæ successisse contendunt, meminimus *Nicol. Hieronymum Gundlingium* Christianos, *reformatos Judæos dicere non erubuisse.* (t) Sunt, qui formam Scholarum vel etiam *Synedrii Judaici* ecclesiæ adaptare maluerunt, (u) sed bene monet laudatus *Keufelius*, gravissima hic regnare præjudicia, & *Collegii* quidem indolem, vel propterea in ecclesiam non quadrare putat, quod nullum collegium detur, omnem civitatem pervadens sive permeans, imo addit: Singula collegia a beneplacito principis autoritatem & confirmationem suam adipisci, ecclesiam autem non a principibus terræ; sed a deo ipso constitutam & confirmatam esse, accedit, quod omnia collegia arbitraria sint, ecclesia autem non possit non esse, collegia in civitate erecta pro lubitu princeps dissolvere potest, ecclesiam autem quis tollere auderet? (x) Fallunt itaque, qui Collegii saltem cujusdam jura, ecclesiæ relinquenda esse autumant, fallunt, qui omnem ecclesiæ jurisdictionem adimere satagunt. An fieri potest, ut jura fundata quis habeat, dicere tamen eadem vel defendere aut exercere non auderet? comparatur ecclesia in pandectis sacris cum domo & plus simplici vice *domus dei viventis* appellatur. Conferuntur v. d. Ministri cum *æconomis* a Domino constitutis, habet ergo ecclesia jura sua *Oeconomica*, eaque domesticis suis promulgat, ac officia secundum ea præstanda postulat, additis minis, anathematismis, (y) & excommunicationibus si non

(t) conf. Nic. Hieronym. Gundlingii *Jus Canonicum* 1734. in 4. editum p. 8.

(u) Vid. Dn Pfaffius *Lib. I. Juris Eccl.* p. 7. § 1.

(x) Keufelius l. c. p. 130.

(y) In longe alia hic iterum abijt Magnif. Dn. Pfaffius veritas, inquit, modo simplicissimo proponitur, nulli personarum accedant anathematismi *Lib. II. de Jure Eccl. §. VII. p. 178.*

non obeditur, adjectis promissionibus omnigenæ felicitatis, si cum veritate pietas copuletur, tolle hæc jura & ecclesiam manibus pedibusve truncatam, mancam & mutilam habebis. (z)

Magistratus civilis uti probe nostis *Auditores!* gladium a Deo sibi porrectum frustra gerere non debet, qui ergo ecclesia *claves regni cælorum*, divinitus ipsi concreditas absconderet? an forsân Salutificator noster gloriosissimus frustra jussit, ut aperienda iis aperiantur & claudenda iis claudantur?

Vident intelliguntque *Hobbesianismo* patrociantes, hoc de Clavibus caput suæ sententiæ maxime obstare, hinc mirum non est, si tros rutulusve in ea Scripturæ S. loca (a) quæ de clavibus loquuntur, irruant, ut ea, miscentes quadrata rotundis pervertant obtortoque collo aliorsum trahant, gaudent etiam in sinu haud modice, frigidam ipsis a *Lighfooto*, *Langio*, *Pfaffio*, (b) aliis suffundi. Proinde negant *excommunicationem* (c) sive major ea sit sive minor, ad jura ecclesiæ pertinere, volunt potius cum *Thoma Erasto*, *Thomasio*, *Pertschio*, *Titio* & aliis, omnem excommu-

C 2

nica-

(z) Bene Petrus Badius qui toties male, in *Diction. Hist. Critic.* sub voce *Bourignon*, inquit, tolle ab ecclesia disciplinam &c. & iniusti viam, ante tertiam generationem eam evertendi.

(a) *Lib. I. de Jure Eccl. p. 49.*

(b) De qua tamen Scriptura S. jam clare & aperte *Matth. XVIII, 17. & I. Cor. V, 13.* loquitur.

(c) Hic *Thomas Erastus Helvetius & Medic. Doctor* in aula Palatina fuit, cujus contra *Excommunicationem* *Tract. post mortem ipsius prodiit Londini 1589.* vid. *Doctissimi & S. Reverendi D. Theodori Crügeri, Ephori Chemnic. Diæc. Dignissimi, Fautoris nostri Honoratissimi Observ. Selectas ad Historiam Censuræ ecclesiasticæ 1718.* editas. add. *B. Joh. Fechtii Tract. de excommunicat. Eccl. Rostoch. 1712.* in 4. *Ej. Kurze Nachricht vom Kirchens Bann dessen göttliche Einsetzung und Billigkeit 1713.* in 8.

nicationem in numerum pœnarum civilium referendam esse. Indignantem facies vestras *Auditores!* videre mihi videor, indignamini scilicet mecum: tam procacissimas sententias in ecclesia unquam auditas fuisse. Sed contineatis Spiritum! reprimatis quæso justissimam iram! duriora percipietis, eo enim *Hobbesequa* nostri impudentiæ processerunt, ut negent, *quenquam in articulis fidei errantem a doctoribus ecclesiæ hæreseos postulari posse*, (d) hæretificium potius, uti *elenchum nominalem* appellant, cum *Carolo Ottone Rechenbergio*, *Pfaffio* aliisque, quibus *Thomasius* præi-
verat, inter crimina referunt, (e) Hæresin cum *Hobbeseo* id saltem esse ajunt, *quicquid Magistratus civilis doceri vetuit*.

Cernitis *Auditores!* quam late venenum *Hobbesianismi* se diffuderit! neque tamen hic mala subsistunt addunt potius *Neoterici* nostri: *Omnia, circa sacra principis jura ex mere ejusdem Jure territoriali fluere*, abstinet quidem ab hoc asserto *Pfaffius*, sed plenis buccis & effræni fronte profitentur *Rieperus*, *Fleischbe-
rus*, (f) *Houtwynus*, *Thomasius* ceterique *Cæsaropapiæ* strenui fautores. Num autem sincero id animo faciant, an vero, ut principum saltem auribus adulentur, nunc non disquiram. Non imperite autem doctissimus *Keufelius* observat, dari, qui sub specie defensi juris principum, quæ Deus sibi reservavit, principibus tribuunt, adeoque sublata *Conscientiarum* libertate religionem turpi servituti emancipent. Certe nisi me fallunt omnia, *Hobbesitas* nostros hic maxime *Vir Doctissimus* si non pupugit, tamen

(d) Collimat huc *Thomasii* disp. an hæresis sit Crimen? an. 1697. habita. Sed vid. B. Fechni *Scrutinium* profligatæ ex Ecclesia hæretificationis 17. in 4.

(e) Videat *Pfaffii* disput. de Crimine Hæretificii, libro de Jure Eccl. adj. et p. 465. & conf. *Ej.* *Origines Juris Eccl.* p. 216.

(f) *Cujus Einleitung zum geistl. Recht*, prodiit Halæ 1724. in 8.

men e deviis, reducere voluit, stante enim illorum principio, teterrimæ admittendæ erunt conclusiones, scilicet, quod *cujus sit regio, illius & sit religio*, (g) quod distinctio *inter sacra interna & externa* sit nulla, quod *ministri V. d. sint meri principum servi*, quod *principibus Germaniæ in transactionibus Passaviensi & Osnabrugensi nil quicquam libertatis & juris circa sacra accreverit* (h) Perpendamus quæso! quid sit jus territoriale? hoc enim cognito, dijudicatu facile erit, possitne quispiam huic sententiæ subscribere an minus. Jus territoriale, ut opinamur, illud recte dicitur, quod princeps vel vi armorum acquisivit, vel alio justo titulo possidet & in peculium suum, subjectasque sibi terras, *absoluto imperio* exercet. Equis autem unquam vel fando audivit, ecclesiam Christi in terris esse principis peculium? aut quis unquam vel per somnium sibi persuaderi passus est, ut principem, vi armorum ecclesiam sibi acquisivisse dixerit?

Sapienter ego cordatiores hic monent probe distinguendum esse, inter jus principis *territoriale*, de quo principibus Germaniæ nulla Osnabrugis lis mota fuit, & inter Jus principis *religiosum*, (i) de quo tunc temporis maxime disputabatur, quæstio enim decidenda erat: cuius inspectio tutelar, directiva & defensiva Oeconomiam Dei in his terris competeret? romanone Pontifici ejusque episcopis? an vero principibus & summis in territoriis Protestantium imperantibus? (k) probari Romanenses nequibant,

C 3

(g) Parum abest quin Pfaffius huic dictæ subscribat Lib. V. de Jure Eccl. §. 16. p. 227.

(h) Pfaffius Lib. V. de Jure Eccl. p. 234.

(i) Vid. Præceptor noster ad cineres usque devenerandus Magnif. D. D. Löscherus in Relat. Innoc. 1724. p. 286. 287.

(k) Vid. ipsa Acta Osnaburgo-Monasteriensia in Tobia Pfanneri Historia Pacis Westphalicæ Edit. tertiæ 1697. p. 181. seqq.

quibant, Papæ hanc externam inspectionem divinitus demandatam fuisse: probari autem nostrates poterant, Pontifices romanos hoc regimine ecclesiæ hinc, in opprobrium Magistratus civilis, hinc, in detrimentum ecclesiæ fæde abufos fuisse. Postulabant itaque Protestantes, ut præcipuis corporis ecclesiastici membris, qui autoritate & viribus maxime pollerent, ac reliquorum privilegiorum & Oeconomiarum in civitate tutores essent, inspectio ecclesiæ œconomica, tanquam summis Episcopis offerretur & crederetur. Proinde Historiarum plane rudis dicendus foret, qui nesciret, quantum juris & beneficiorum in transactione Westphalica non minus, quam Passaviensi per August. Confess. in principes evangelicos redundaverit. Præstantissimi, juris publici Interpretes dudum demonstratum dederunt, vi Pacis Westphalicæ, Augustanam Confessionem vim legis publicæ & Sanctionis pragmaticæ in Romano Imperio nactam fuisse, an vero unquam ad tantam dignitatem tantumque valorem assurrexisset, si plane nullum in Status, libertates & jura Principum evangelicorum influxum haberet & si plane nil quicquam inde juris lucrati fuissent? (1)

Concedimus, ecclesiam sub civitatis tutelam transisse, atque jura sua in eam intulisse, absit tamen! ut hæc sua jura meræ principum voluntati ac libero arbitrio subjecisset. Ut ut enim *exercitium* nonnullorum jurium, sub tutela principis quiescens intermittere eaque potestatis secularis providæ curæ relinquere possit, ea tamen vel prorsus exuisse, vel principi cessisse nequaquam dici poterit. (m)

Ponamus, principem ab ecclesia, cujus antea membrum fuit, descendi.

(1) Vid. Præstant. Domini Joh. Georgii Estoris delineatio Juris Publici Ecclesiastici Protestantium exhibens Jura & Beneficia Augustanæ Confessionis, eique addictorum, Frf. 1731. in 4.

(m) Conf. Keufelius l. c. p. 173. 156. 157.

desciscere, num vero propterea ex jure *territoriali* mandare potest, ut reliqui, suum exemplum illico sequantur? ut Symbola antiqua migrent? & liturgiam publicam abrogent? absit hoc asferamus! Revolvuntur potius tunc jura cætus sacri, quæ princeps hucdum exercuerat, ad ecclesiam ipsam. Neque tamen hac revolutione jura ejus territorialia vel tantillum læduntur. (n)

Et beneficium omnino dei est, quod Principes Christiani huc dum agnoverint, & adhuc agnoscant, aliter ipsis jura sua territorialia exercenda esse, aliter autem ipsis circa jura ecclesiæ æconomica sive jura religiosa versandum esse.

Ceterum, cum ecclesia, quando principem ipsum, membrum suæ societatis habet, multum inde lucretur, in aprico est, falsum esse Hobbesistarum assertum quo docent: *ecclesiam per accessum principis ad eandem, & per discessum ejus ab eadem; ne minimam quidem mutari*, (o) putant enim *Thomasio* præcentore & *Pfaffio* interprete, principi nec ut principi, nec ut Summo episcopo, nec ut præcipuo membro, ullam in ecclesia respectum vel minimam prærogativam deberi. (p)

Dabitis mihi *Auditores!* veniam, vel semel cum comico exclamandi *Næ! intelligendo faciunt bi homines ut nihil intelligant.* Altera manu omnia principi se largiri videri volunt, altera vero omnia ipsi iterum adimunt, (q) contrarium vero luce clarius pro-

(n) Conf. B. Wernsdorfii disp. de Potestate Principis circa Symbola civium, in religione ab ipso dissentientium, Vitemb. 1711.

(o) Pfaffius Lib. I. de Jure Eccl. p. 41. 42. 43.

(p) Eadem Chorda oberrat Ludov. Martin. Kahle in Elementis Juris Canonici 1743. Halæ in 4. editis.

(q) Concoquat, cui stomachus aheneus est, *δύσπεπτα* illa Pfaffiana Lib. I. de Jure Eccl. §. VIII. p. 37. Quid vult status politicus in ecclesia?
cum

probarunt *Seb. Schmidius, Jägerus, Wernsdorfus* alii, utique enim primario ecclesiae membro ea competunt, quae eminentiae suae alias debent, praecipuum de amore proximi, quodvis ecclesiae membrum obligat, ut tantum operis, salutis ecclesiae promovendae impendat, quantum tribuere valet. Quo majoribus itaque princeps facultatibus gaudet, idonea adhibendi media, quibus subditi ad cognitionem veritatis, ad morum probitatem, atque ad cultum Dei perducantur, eo major etiam ipsi obligatio incumbit, his mediis solerter utendi.

Quis ergo non videt? multum omnino ecclesiam, hinc, per principis ad eandem accessum lucrari, hinc, etiam non parum per ejus ab ea defectionem amittere!

Percepistis *Auditores!* quam multi hodie surrexerint Viri, Viri alias praestantissimi, quorum nomina & merita ipsimet plurimi facere didicimus, Hobbefianismo introducendo obstetricias manus admoventes. Et utinam, in momentis adductis vel tandem acquiescerent! Sed nova indies haec hydra lernaea protrudit capita. *Hobbefista* nostri praeter haec, omnia *Consistoria vel abolita, vel tamen Theologos ab iis exclusos volunt*, (r) negant principem ut principem teneri, ut de felicitate subditorum suorum sollicitus sit (s) negant principi ut principi curam pro conservandis Scholis incum-

cum princeps ubi membrum ecclesiae evadit vel est, hic non ut princeps, sed ut auditor verbi spectetur, aliamque hic qualitatem haecenus non habeat. miror sane a Viro tantae eruditionis tamque subacti iudicii aperte confundi ecclesiam & templum, itemque jus principis circa sacra & officium ejusdem, si sacra turbare, nolit, in templo, hic non illic est auditor verbi, conf. etiam Lib. V. l. c. p. 269.

(r) Negat Pfaffius Lib. V. de Jure Eccles. p. 292. necessarium esse, uti Theologi Consistoriis affideant.

(s) Abhorret tamen ab hac impia sententia Ill. Böhmerus in dissert. Praelim. de suprema lege Eccl. juri Ejusdem Eccl. Protestantium praemissa & doctissimi, Keufelius in Elem. Jur. Eccl. p. 41.

incumbere, negant jus *decidendi controversias* Theologicas doctolibus ecclesiae relinquendum esse, (t) negant *principibus* Christianis ad *exempla piorum in V. T. Regum attendendum esse*, negant principes utriusque *tabulae* (u) *custodes esse*, negant membra ecclesiae in *statum ecclesiasticum, politicum & aeconomicum resolvenda esse*, (x) negant Jura principis circa *Sacra Episcopalia* dici posse, (y) taceo reliqua.

Verum autem vero gratulantur sibi Principes, quod norint, jura ipsis episcopalia vindicata & consolidata esse publice, neque etiam ipsos huc dum puduit, haec sibi jura, praeter jura territorialia arrogare, eaque exercere. (z) Gratulatur sibi ecclesia, quod jura sua domestica ac aeconomica huc dum ipsi relicta sint, exultat imprimis ecclesia nostra Saxonica, quod SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS POLONIARVM REX QVA ELECTOR SAXONIAE, DOMINVS NOSTER CLEMENTISSIMVS, jura, quibus Sion gaudet, intemerata & illaesa eidem reliquerit, relicurus eadem porro, vi datae publice fidei.

Est ergo, cur precibus humillimis ac suspiriis calidis caelum tundamus, deumque rogemus: ut *Patrem Patriae* nostrae AVGVSTISSIMVM SARMATARVM REGEM SAXONVMQVE DVCEM AC ELECTOREM *omni felicitatis genere coronet, ejusque sacratae personae, Augusta itidem tori ac Solii*

(t) Dolemus sane & hic Praestantissimum Dn. Pfaffium, Pseudo-Politicorum sputum sanieque sollicitate lambere. Lib. V. l. c. p. 278. 279.

(u) Et hic Machiavellistis & Hobbesistis Pfaffius adulari & adhinnire voluit Lib. V. de Jure Eccl. c. l. p. 235. 236. 240.

(x) Pfaffius l. c. §. VIII. p. 37.

(y) Negat Pfaffius l. c. p. 263. sed asserit etiam p. 259.

(z) Conf. B. Joh. Ben. Carpzovius in Jurispr. Confist. definit. XI. n. 14.

Solii Sociæ, ac Serenissimo principi Hæredi ex alto largiter benedicat! Servet idem ille Deus T. O. M. omnia augusta Collegia, quæ negotia Serenissimi ac Potentissimi Domini nostri tractant, quo sub eorum Moderamine ac auspiciis per eorundemque saluberrima Consilia res non minus ecclesiasticæ quam civiles floreat, novisque felicitatis omnigenæ accessionibus utrimque adaugeantur! Servet Benignissimum Numen inclytam hanc Academiam & gratiose largiatur, ut pristini nitoris & celebratissimæ famæ nullam unquam patiatur jacturam! ita enim fiet, ut in antiqua hac Musarum sede semper & reperiantur atque inde discedant Viri, qui & principi reddunt, quæ principis esse norunt, & deo, quæ sua esse deus voluit. Hoc pio voto

TE Magnifice Domine Rector! VOSque reliquos Patres conscriptos pace tamen vestra jamjam humanissime dimitto, maximam addens gratiarum actionem, quod honorificentissima vestra præsentia hunc actum illustrare atque insigni plane patientia attentius, quam quidem sperare poteram, me audire benevole voveritis.

Antequam vero hic discedo ad VOS Comitones dilectissimi, domini Honoratissimi, studiosi literatissimi me converto, vestra frequentia non nego, me subtimidum, paulo audaciorem in fermocinando reddidit, bonum mihi hodie estis signum, fore, ut precibus meis locum sitis relicturi, cum rogandi, qua possum humanitate mihi estis, ut cras ab hora XI - XII. lectionibus publicis jussu ac indultu Ordinis Theologici a me habendis (a) frequenter interesse haud gravemini, non sum mihi adeo suffenus, ut putem quali quali mea opera aliquid commodi vel augmenti, studiis vestris afferri posse; hoc tamen Comitones Suavissimi, VOBIS persuadeatis velim, utut hac ratione VOS mihi demereri minus valeam, aliis tamen, si forte eniteant occasionibus, desiderii vestris inserviendi me semper fore promptum paratumque.

D I X I.

(a) in Matthæi c. XVI, 18. 19.

94 A 7368


ULB Halle
002 928 582

3



10 17





ORATIO ^{2P}
DE
HOBBESIANISMO,

IN
PLERISQUE
JVRIS ECCLESIASTICI
SCRIPTORIBVS NEOTERICIS
LATE REGNANTE.

VITEMBERGÆ,
IN SOLENNI, CORPORIS ACADEMICI
PANEGYRI

d. 22. JVLII 1744.

RECITATA

A
MARTINO GRVLICHIO,
SS. THEOL. DOCTORE ECCL. TORGAV. PAST.
PRIM. ET DIOECES. SVPERINTENDENTE
AC LYCAEI INSPECTORE.

TORGAVIAE, LITTERIS PETERSELLIANIS.

Leon J. Henning